



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE *VETUSTISSIMA* AEDIS BEATAE VIRGINIS MARIAE SUB  
TITULO SACRATISSIMI ROSARII**

**IN LOCO «BANDEL» ARCHIDIOECESIS CALCUTTENSIS**

**BASILICAE MINORIS TITULO ET DIGNITATE ORNATUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Vetustissima sane inter suae regionis septentrionalis templa christiana merito et numerator et praeclarum exstat sacellum Beatissimae Virgini Mariae sacrum sub titulo «Sacratissimi Rosarii» utpote quod iam ad finem vergente sexto decimo saeculo missionales Evangelii praecones intra tunc temporis dioecesis Meliaporensis fines in India providi excitaverint. Eadem vero deinceps aedes varias per temporum vicissitudines ac mutationes ita artis sacrae aucta est monumentis, ita catholicae pietatis instructa adiumentis ut praecipua iam vitae Christifidelium iis in locis sedes habeatur ac medius veluti locus quo alia complura referantur ex tota ad quam pertinet archidioecesi Calcuttensi. Nihil propterea nec momenti historici nec sacri artificii visum est eidem huic templo deesse, iudicante loci Praesule sacro Venerabili Fratre Henrico Sebastiano D' Souza, nisi liturgica illa quasi corona, titulus nempe Basilicae Minoris, quem proin magnis nuper precibus ab hac Sede Apostolica commemoratus pastor petivit. Cum saepenumero simus Nos ipsi experti quantum huiusmodi insignia manifestaque decora conferant denique tum ad animos cleri ac populi fidelis in cotidiano religionis solidae cultu firmandos tum in caritatis opera pietatis officia Virginis Mariae obsequia infiammandos, rem adeo salutarem frugiferamque esse arbitrati hanc libentes sic flagitanti pro se suoque grege Archiepiscopo satisfacere cupimus. De consilio propterea Congregationis pro Cultu Divino de Nostraeque potestatis apostolicae plenitudine et harum Litterarum virtute constituimus ut dicta aedes Beatissimae Virginis Mariae sub titulo Sacratissimi Rosarii in loco «Bandel» archidioecesis Calcuttensis ad condicionem provehatur dignitatemque Basilicae Minoris, cui simul iura universa addantur et privilegia, quae talibus in Ecclesia templis ad canones sacros congruunt, servatis tamen iis singulis, quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII foras datum, iubet profecto servari. Contrariis quibuslibet haudquaquam obstantibus rebus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Novembris anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana

---